

continuo (Psal. 88): *Eccc alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopyum, hi fuerunt illic.* Atque in hoc sensu apte explicari posse censui verba illa Virginis (Cant. 5): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Posset quispiam merito interrogare: ut quid, si beata Virgo ostentare cupiebat curam, et sollicitudinem suam, intellectum, et voluntatem eius, vigilantes esse non dixit? Sane Aegyptii, ut auctor est Pierius, in symbolum sollicitudinis, et curae, quam reges in republica regimine adhibere debent, virgam, superposito oculo aperto in eius cacamine depingere consueverunt. Ut huic difficultati satisfiat, in memoriam oportet revocare, quod, ut auctor est Alciatus (in suis emblem.), amorem depingebant coecum, vel velatis oculis:

Tela alasque ferens, lumina nulla tenet.

Cuius sane picturae, quamvis nonnulli eam reddiderint rationem, quia amor amantes excoecat, iuxta illud Propertii (2. elegiarum):

Sicilicet insano nemo in amore videt:

et illud Ovidii:

Quid deceat, non videt ullus amans.

Mihi tamen sic amorem depinxisse videtur, ad significandum illum verum, et perfectum amantem censendum, qui clausis oculis absque dispositione meritorum rei dilectae, aut propriae obligationis, ad illi beneficiendum amoris pondere fertur. Qui enim merita discutit, aut obligationes explorat, prudentis quidem, sapientis, aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Ut ergo beata Virgo significaret, beneficentiam suam ad omnes extendi, instar solis, qui in bonos, et malos suam lucem diffundit, ideo consulo dixit clausos, et dormientes habere oculos mentis: *Ego dormio: voluntatem vero per cor significatam, in qua residet amor, et cor meum vigilat, vigilantem esse ad succurrendum miseris absque ulla personarum acceptione, quia amor eius operit multitudinem peccatorum.* In hac ergo amatissima matre semper nostram collocantes, Virginis auxilium invocemus, unanimes, cum summo pontifice Innocentio Tertio canentes:

Ave mundi, spes, Maria.  
Ave mitis, Ave pia.  
Ave charitate plena:  
Virgo dulcis, et serena.  
Sancta parens Iesu Christi.  
Electa sola tu fuisi;  
Esse mater sine viro,  
Et lactare modo nitro.  
Angelorum imperatrix.  
Peccatorum consolatrix,  
Consolare me lugentem.  
In peccatis iam foetentem.  
Precor te Regina coeli.  
Me habeto excusatum  
Apud Christum tuum natum:

cui sit honor, et gloria, per infinita saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XVIII.

*Benevolentiam b. Virginis adeo in omnes se diffundere, ut illius participes sint coelestes incolae, viatores omnes, tam fideles, quam infideles: Animae ergastulo purgatorii detentae; immo et nonnulli qui poenas inferni sustinentes, Virginis tamen intercessione ad vitam revocati, facta poenitentia in coelum evolarunt.*

Ea quae scripta invenio (Danielis cap. 4), de arbore illa, quam rex Nabuchodonosor in somnis vidit, mihi ante oculos ponunt, adnussimque exprimunt, quam longe, lateque Deiparae Virginis misericordia, et beneficentia in omnes se diffundat: *Videbam, inquit, et ecce arbor in medio terrae, et altitudo eius nimia. Magna arbor, et fortis: et proceritas eius contingens coelum: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius: et esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli: et ex ea vivebatur omnis caro. Apte sane Virgo beata, arbor, quae egressa est de radice lesse, in medio terrae constituta appellari potest, cum in Palaestina nata, et educata fuerit, quam medium terrae multi censent, iuxta illud Davidis (Psal. 73): *Operatus est salutem in medio terrae.* Arbor quidem alta, et procerata, quae altitudine meritorum seraphicis spiritus praecellit. Recte etiam et quadrat, aspectum eius extendi usque ad terminos universae terrae, cum in Verbo creaturas omnes, tam supra, quam infra coelos degentes clare perlustrat. Folia eius deinde, verba nimirum quis dicat, non esse pulcherrima, cum illis solum quinque: *Fiat mihi secundum verbum tuum, captus Filius Dei, in aeternum eius descenderit.* Quod autem ait: *fructus eius nimius, et esca universorum in ea, salis superque in Mariam convenit, cum de eximio, et praecelso fructu ventris eius fideles omnes per summptionem Eucharistiae vescantur.* Quod insuper ait, *subter eam habitabant animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli:* quid aliud insinuat, nisi tam iustos, quam peccatores, tam homines, quam angelos sub eius protectione commorari? Et quidem, ut a beneficentia beatae Virginis erga angelos exordiar, id certum, et indubitatum est, nullo obiecto praeter beatissimam Trinitatem plenus delectari angelos, quam humanitate Christi, et genitricis eius. Haec enim est praecipua, et potissima accidentalis eorum gloria, clara Christi, in quantum homo, et matris eius visione perfrui. Praeter hoc etiam, certe beneficium restorationis sedium eorum per Virginem accepisse auctor est d. Bernardus (serm. 4. de assump.), dum ait: *Quis misericordiae tuae, o Virgo benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profundum quaerit investigare? nam**

*longitudo eius usque in diem novissimum, in-occupantibus eam subveniet universis. Latitudo eius recipit orbem terrarum, ut tua misericordia plena sit omnis terra; sic et sublimitas eius civitati supernae inveniit restorationem, et profundum eius sedentibus in tenebris, et in umbra mortis obtinuit Redemptorem; haec divus Bernardus: cuius sententiam secutus Idiota nomine, re doctissimus (lib. de Virg. Mar. cap. 4) haec eximia pietate, et eruditione referat nobis conlata reliquit: *Inter omnia opera aeterni officii post illam operationem, qua naturae unitus est filius tuus, speciale opus fuisit, o beatissima Virgo Maria, quia ad hoc te fecit, ut quod de primo officio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hinc enim summus episcopus primo considerat angelicam naturam, quae in parte ceciderat: et humanam, quae corrupta erat: et corpoream inferiorem, quae peccato hominis fuerat deterior facta. Sed ad haec omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissimam, ut ex tuo super-benedicto fructu angelica natura repararetur, humana renovaretur, inferior a servitute liberaretur. Aedificavit ergo angelis te reginam, hominibus medicinam, creaturas inferiori libertatem: et paulo post: Ideo dicitur: sapientia edificavit sibi domum, id est, te Virginem Mariam, ut in te habitaret per humanam naturam assumptionem; et non tantum sibi ipsi soli te fecit, sed te angelis dedit in instaurationem, hominibus, et nostrae naturae in reparationem, inferiori creaturae in liberationem: sibi in matrem, daemionibus in hostem, detentis in limbo ereptionem. Nam in principio, cum ceciderunt angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, et diabolus victor; sed per te, o superbenedicta Virgo Maria innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, et unitor, diabolus vincitur, atque conteritur. Ac tandem compendiosius b. Petrus Damianus (serm. de nativ. Mar.) inquit: *Per hanc beatissimam Virginem, non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicae sublimitatis augetur: quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.***

Porro quod attinet ad beneficentiam Virginis in homines, praeter incomparabile illud beneficium humano generi ab ea collatum, ut libere consenserit mater Redemptoris nostri fieri, nobisque vitae auctorem peperit, quo nihil sublimius dici potest: unde divus Bernardus (de nat. Mar.) hac ratione Mariam vocavit, *Aquaeductum*, per quem Filius Dei ad nos pertransit: *Sane, inquit, ipsa esse plenitudo exarantit, ut feret nobis iustitiam, sanctificationem, redemptionem: derivatus est fons, atque ad nos descendit per aquaeductum vena illa coelestis. Advertistis iam, ni fallor, quam velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens nobis edidit illum. Notis enim cui dictum sit: *Ave gratia plena.* Quamvis, inquam, id maximum fuerit Virginis beneficium, in eo etiam ipsa nostrae utilitati maxime consulit, quod in matrem se nobis exhibere non fuerit dedignata. Primam illam Evam omnes norunt ab Adamo appellatam fuisse matrem viventium: quam honorificam appellationem non desunt, qui putent per iro-*

niam sic illam appellari, sicut Graeci *Furias infernales* appellantur *Eumenides*, id est, *mites* a contrario sensu, quippe cum sint durae, et inexorabiles. Unde Lyranus interpretatur nomen *Evae*, quod significat non simpliciter matrem omnium viventium, sed cum hac restrictione, *ae misere viventium.* Sed quod mirabilis est, Rupertus Abbas (de Tri. l. 3. c. 26) affirmat Adamum superbiae spiritu influmescens, quasi non timens mori, quam minaturam fuerat ei Dominus, vocasse uxorem suam matrem viventium: verba eius sunt haec: *Quid insanius, quam in illo talis causae iudicio, illam nuncupare Evam, id est, vitam, quae vitam in se non habebat; eamque dicere matrem eunctorum morientium? Omnes in peccato eius moriuntur: et nemo filiorum eius vitit, nisi qui per unum hominem Christum vivificantur. Mirabile itaque est, quod ubi mortis corporae sententia ferebatur, iam spirituali morte mortuus, et postea corporali etiam moriturus, illic uxorem suam Evam, id est, vitam appellavit. Igitur cum hoc narravit Moyses, Adamum accepta mortis sententia uxorem suam appellasse nomine vitae, hoc proculdubio significare voluit. Quemadmodum superius Deo dicenti: in quocumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris, non crediti, sed comedit, quia mulierem, quae prior comederat, non statim corporaliter mortuum esse vidit; sic et nunc dicit: *Deo: quia pulvis es, et in pulverem reverteris, adeo non credidit, ut e contrario vocaret nomen uxoris suae Evam, id est, vitam, eo quod mater esset eunctorum viventium;* haec Rupertus. Alii arbitrantur, quod et mihi valde placet, propriam, ac primarium nomen uxoris Adae non fuisse Evam, cum virago primum appellata fuisset, ut praedenter Steuchus observavit. Unde nomen *Evae*, seu *vitalis*, impositum illi arbitrator propter aliud, nempe in figuram, et typum Deiparae, quae et Christi, qui est vera vita, et omnium, qui in Christo, et per Christum regenerantur, et vivificantur, parens futura erat, ut notat Epiphanius (haeres. 78): *Beata, inquit, mater Dei Maria, per Evam significatur, quae in aenigma accepit ut mater viventium vocetur; a Maria vere haec vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et ferret mater viventium.* Et contra Antidicomacianitas (lib. 3. contra haeres. cap. 3) sic loquitur: *Quandoquidem, ut omnis hominum generatio ex prima illa, quae primaevarum nobilitatem inobediencia vitavit, infeliciter exorta est; sic vera vita qua Deo secundum spiritum viciniam, per alteram matrem Mariam vere obediens, nobis perditis quasi restituitur, dum haec ipsam vitam fontem, et auctorem Christum nobis exhibet. Vetus Eoa foetus suos, priusquam pareret, excitavit, nocerica potius, quam mater appellanda; sed nova haec Eoa, non morientium, sed reviviscentium mater exitit: quae incogitabili mysterio, de cuius esse fuerat genito, cum ipsum de sua carne vicissim genuit, nec ab ipso fundata, quam ab eo, quem peperit. Hinc beatus Laurentius Iustinianus (serm. de amnec.) contemplan beneficentiam Virginis, tam erga angelos, quam homines, dixit: *Magna profecto***



fuit Mariae gratia, exuberans, atque completa, quae coelis dedit gloriam, terris praebuit Deum, gaudium praestitit angelis, saeculoque pacem re-fudit; fidem docuit gentes, vitiosque finem imposuit: humanae vitae instituit ordinem, atque spirituales edidit moribus disciplinae.

Ceterum Virginis beneficentia, et misericordia non solum erga Christianos se manifestat, sed et circa infideles, et paganos mirifice se ostendit. In cuius figuram legitur non solum Israelitas, sed etiam Ethnicos, templum Salomonis adentes orandi causa, Dei virtutem in seipso sensitisse, multiplicesque ex eo templo fructus reportasse, ut liquido constat ex Ioannis (c. 12), et (Actorum 8), quod et factetur Heliodorus (2. Machab. 3), cum et Dei flagella in seipso receperit, et in eo Dei virtutem vere adesse cognoverit, ut ipse fassus est. Non dissimiliter infideles Ethnici, et Pagani ad Mariam confugientes, sacerdotum Dei templum, experti sunt regiam eius munificentiam. In cuius veritatis attestationem, consulto praeteriens quae commemorant sanctus Ioannes Damasc. (orat. de dorm. Virg.), s. Greg. Turon. (lib. in glor. plurim. marty. c. 8), Melaphrast. (15. die Aug.), Glycas (4. par. Annal.), solum referam, quae in annalibus Ecclesiasticis Laurentianis reperio. Tradunt illi, Corcutum Turcarum Praetorem, se Bassam anno 1551. dum esset Constantinopoli, ex gravi, ceruloculo peccatoris apostemate, ad extremum vitae discrimen venisse, et a pio eius servo christiano iam moribundum admentum fuisse, in Laurentianam Virginem, cuius admirabilem vim in morbis cuiuscunque generis depellendis illum edocuerat, invocare: vovens si morbum depulisset, se in eius gratiam illi servo libertatem daturum. Cum itaque votum emisisset, mox disrupto apostemate Bassa sanatur, et servum illum libertate donatum cum literis, ac muneribus mittit Lauretum ad Virginem. Tenor harum literarum hic fuit, ut ex originali arabico cognoscitur, quod in vernaculam linguam conversum, Laureti asservatur, et latine versum sic se habet: Quod bonum, fortunatumque nobis esse vultis magis, ac misericors mundi Dominus. Cum mihi ipsi divinitus quiddam eveniret: ego Corcut Bassa, ne meo desim officio, tantaque rei monumentum aliquod posteris exeret, rem omnem ordine capavimus. Ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamque haud dubium imminere exitium, cum desperata a medicis salute, meus ne servus adiret, et sane scideret: si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei matrem exorabo, ut tibi pristinum restituat valetudinem. Itaque ego confestim accessit tabellitine, libertatem et repro-misi, si ipse promissa praestaret. Ex templo servus positus humi genibus, et quadam super se signa ducens manu, rogat, ut semel verbo praestentem equar. Inde ipse praecire his verbis coepit: Ego beatae Mariae Laurentianae opem imploro. Momenit obscuro, triduo post, deo favente, convalu: ego servo in libertatem vindicato, hoc chryso-graphum dedi cum voticis donis, quae meae observantiae, gratulante animi monumenta sunt beatae Mariae parenti praepotentis Dei, qui nos salvos velit: Vides etiam Barba-

res Laurentianae Virginis opis expertes non esse? Narratur quoque in iisdem annalibus anno 1529. Bassam quandam Turcarum, argenteam arca vestem margaritis insuper adornatam, Laurentianae Virgini donum misisse, Clemente Septimo Pontifice Maximo; ut intelligeremus, Laurentianam Virginem communem omnium entium esse patronam quicumque eius patrocinio uti velit. Iudaes quoque opem suam Virginem non denegare, Annales Laurentianae abunde perhibent. Narrant enim sexagenarium Hebraeorum ob patrum grave quoddam facinus, a Turcis comprehensum, perpetuis addictum fuisse vinculis, et tandem aerumnis confectum, corporis salute desperata, ad animam cunctam suam cogitationem convertisse: veniaque suorum peccatorum a Deo suppliciter postulata, Iesum Christianum Messiam, et matrem eius Mariam religiosissime adorare coepisse. Cumque noctu spei, et fiduciae plenus cubasset, in quiete Christus ei apparuit, quem cum ex specie, quae a Christianis soli colere, agnovisset, verum Deum atque Messiam professus etiam supplex in somnis adoravit. Sed quid? statim ei Virgo beatissima, eximia pulchritudine, ac maiestata praedita praesens fuit, quae Luciae virgini eius comiti iussit, ut Hebraeorum catenis, quibus vincitus tenebatur, eximeret, et reseratis carceris foribus, ad portum deduceret: admonens illum, ut oppidum Laureti in Piceno Italiae regione situm, statim peteret, ibique christiana sacramenta susciperet. At Hebraeus evigilans Christi, et Mariae eius matris auxilio permotus, et excitatus, navicula, quam clementissima Virgo hortante descendit, per mare sua sponte incredibili celeritate delata, non sine divino ductu atque impulsu, Anconam biduo ex Nazareth appulit: et illico Lauretum pergens, ibi christianis mysteriis instructus ingenti suo, et aliorum gaudio sacrum baptismum religiosissime suscepit. Erat hic Hebraeus origine Nazarenus, vir gravis, ac prudens, qui Nazareth habitabat in vico, ubi Laurentianae domus vestigia relicta fuerunt, cum ad Picenum per manus angelorum deducta fuit, et Mariae suae civi semper favebat, a qua tam magnum misericordiam deinceps est consecutus.

Sed veniamus iam ad liberalitatem, et magnificentiam, qua B. Virgo utitur circa animas defunctorum in igne purgatorii delentis. Nam in primis in die assumptionis ingentem multitudinem animarum a poenis purgatorii eripuit, quae ovantem Virginem, et ad filii dexteram ascendente comitate sunt, ut late scribit Ioannes Gerson Cancel. Paris. (super Magnificat tract. 4. in fine). Cuius rei cum assignat rationem, quoniam tunc regina coronabatur; et e carcere dimitti animas, reginamque suam sequi par erat: Non est quidem, inquit, incredibile, Christum fuisse ibi, cuius cursus erat decem millibus multiplex, per angelos, ducens secum multam ex purgatorio captivitatem ob honorem novae coronationis ipsius, quae reginae misericordiae, et dominae gratiae, sub cuius imperio sunt omnia iura regnorum, ut in suo nomine flectatur omne genu coelestium, terrestrium, et infernorum, quamvis aliter ad

filium benedictum, qui tamen subditus dignatus est esse illi. Sed et praeter diem assumptionis, saepe alias Virginem animabus purgatorii frequentiter opitulatam fuisse, vel illud unum perspicue probat, quod ferventissima sit charitas Virginis: unde cum illi constituti sint non solum in gravi, sed plusquam extrema in necessitate, consequens est plura charitatis illius officia experiri. ut adnotavit sanctus Bernardinus (serm. 2. de Pent.). Quod si sanctus Petrus (in sua Can. 2. cap. 1) dixit: Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis, id est, ut Interpretes huius loci commentantur, dabo operam habere vos in memoria, atque adjuvare, ut haec impleatis. Cur non etiam Deipara, quae charitate, et misericordia Petrum longe superat, post obitum suum in coelis iam regnans diligenter curabit, non solum vivis ad consecutionem, vel conservationem gratiae subvenire, sed etiam defunctis suffragia deferre, ut a Purgatorii poenis liberentur: maxime, cum enixe cupiat, animas eorum, qui in Domino moriantur, quanto citius ad coelestem beatitudinem pervenire? Quare Ecclesia catholica in quadam defunctorum collecta inquit: Intecedente beata Maria semper Virgine cum omnibus sanctis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Etenim beata Virgo duplici via potest illas adjuvare, tum preces pro eis Deo effundens, tum satisfactiones suas ei offerens ad divinam iustitiam compensandam, quas benigne postulat a Deo recipi; vel certe, ut aliis placet, filium suum deprecans, ut brevi tempore per intensiorem dolorem, totam poenam taxatam exolvant, ut sic citius in coelum evolent, et acceleratius ultimum suum finem consequantur. Consolationem autem non modicam experiri animas purgatorii solo Mariae nomine audito, testatur Dionysius Carthusianus (lib. 3. de laudib. Virg. cap. ult.), ubi refert, sanctam Birgitam in suis revelationibus narrare, sibi beatam Virginem apparuisse, et in hunc modum locutam fuisse: Audi quantum filius meus nomen meum honoravit. Meum nomen dum angeli audiant, gaudent; Deoque gratias agunt, quod per me, et mecum talem gratiam fecit; et quoniam vident humanitatem filii mei in deitate glorificatam, qui in purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quoadmodum aeger iacens in lecto, cum audit verbum solati.

Tandem id ipsum confirmant gravissima quaedam exempla, quae non pigebit hic apponere. Scribit Thomas Cantuariensis in vita sanctae Lutgardiae apud Sarium mensae Iunii, ducissam Brabantiae, quae fuit filia Philippi regis Francorum, cum gravissime aegrotaret, instantem a sancta Lutgardia, quae sanctimoniam vitam agebat in quadam monasterio in sua ditione posito, petisse, ut pro eius sanitate acquirenda ferventissimas ad beatissimam Matrem Virginem preces funderet. Quibus factis significavit illi, ex eadem infirmitate ipsam non convalescituram: quocirca praefata ducissa media poenitentia, et susceptione Ecclesiae catholicae sacramentorum ad moriendum se praeparavit; et in Domino religiose quiescens, non largo interfecto temporis intervallo, anima e-

iusdem ducissae iam gloriosa sanctae Lutgardiae apparuit, dicens illi se ex purgatorio iam cito egressam esse precibus, ac intercessionibus beatissimae Virginis, cui dum viveret, pie inser-vivit, et devotissimas orationes ad eam direxit.

Secundum exemplum habetur in eadem historia sanctae Lutgardiae, cui Innocentius Tertius Papa post suum obitum apparuit, horribilibus ignis flammis undequaque adustus, inquit illi se a poenis quidem inferni, media poenitentia inter vivos ab eo peracta immunem esse; non autem a poenis purgatorii, a quibus liberari, cum acerbissimae essent, suis precibus, ac suffragiis christianis ab ea exhibendis, omnino petebat; subdens beatam Virginem ob monasterium in eius honorem ab ipso Innocentio constructum, impetrasse a Deo facultatem, ut eidem sanctae Lutgardiae ad eius exposcenda suffragia ipsius anima posset apparere.

Ad haec, tam longo, lateque Virginis clementia, et miseratione se diffundit, ut ab ipsis etiam inferis, ubi damnati puniuntur, nonnullos efficacissima ac potentissima sui intercessionis, graves quidam historiographi eduxisse commemorent. Etenim licet verissima sit sententia sancti Thomae (3. parte quaest. 52. art. 6. et in add. quaest. 14. art. 5. et quaest. 74. quaest. 2), adeo damnatorum ab infero liberationem, vel eorum mitigationem poenarum exhorrescentis, ut nec per Christi passionem, nec per eius descensum ad inferos ereptionem a reatu poenae infernalis, vel consolationem ullam in eo degentes, consentos fuisse affirmet: quod idem docuerunt Durandus (dist. 45. quaest. 2), Antonius (3. p. tit. 32. cap. 2. §. 2), Scotus (eadem dist. q. 2. art. 2). Unde d. August. (lib. 2. de Civ. Dei cap. 24) ait: Nimis praesumptuosum est, dicere, cuiquam eorum supplicium aeternum non futurum, quos Deus stertus in supplicio dixit aeternum. Licet enim doctrina haec certissima sit, quam et clare docuit David (Psal. 66) dicens: In inferno nulla est redemptio, et Ecclesia illud acceptum in responsorio defunctorum: cum eo tam recte stat, quod ex oculis Dei iudicis aliquos in mortifero peccato decedentes ad vitam revocavit, et peracta legitima poenitentia, suscepiisque sacramentis, tandem ad aedes coelestes eos transtulit. Etenim tales homines licet interim ad tempus fuerint puniti in inferno, secundum praesentem eorum iniustitiam; absolute tamen praedestinati fuerant ad aeternam salutem per medium illud prodigiosum ex immensa Dei benignitate, et Virginis intercessionis, qui habent, licet diversimode, claves mortis, et inferni, ut docent s. Thomas (in quaest. de ver. quaest. scilicet, art. 6. ad 4), Altiisiodorensis (lib. 4. cap. de damn.), Henriquez (lib. 9. c. 16), ac tandem Rutilius Beuzonius Episcopus Laurentianus (lib. 2. de anno Iubiliae c. 45), ubi ait, quosdam ad vitam revocatos ex inferno, et ex statu damnationis, cum ad illum non essent tunc finaliter deputati. Quare nec ratio praedestinationis, vel reprobationis ullo prorsus modo variatur, sed firma, immutabilis, et perpetuo stabilis perseverat. Ad item illa de facto contingisse per intercessionem



B. Mariae Virginis; omissis variis exemplis, de quibus lib. ultimo agam, solum illud referam, quod ex distinct. 3. speculi exemplorum exemplo 46. Ratilius Benzonius Episcopus Laurentanus (in *expos. Ps. 86. c. 32*) in haec verba commemorat: *Cum enim quaedam matrona in territorio Lioniensi, seu Lingonensi, licet a lias religiose viveret, in eo defecit, quod facinus quoddam in iuventute commissum, nunquam in specie, sed tantum in communi, atque generaliter confessori in sacramento poenitentiae aperuisset: ac proinde, postquam e vita discessit, a daemonebus ad flammam infernalis ignis raperetur; illic beata Virgo Iesum filium evicæ exoravit, ut ab eiusmodi aeternis poenis eam liberum esse vellet, eo quod cum viveret, quotidie eorum eius imagine illam pie exorasset, ne eo tale peccatum damnationi addiceretur aeternae. Annuit filius, et mulier vitae restituta oculum, ac tam diu non propolatum peccatum integre cum alitis confessio est; Virginisque precibus iterum moriens, in caeli gloriam recepta fuit; haec ille. Quibus addo, quod si Apostolus ex privilegio concessum fuit, ut nonnullis Ethnicis, qui ad infernum iam descenderant, qui sic ad vitam revocati, perfecta poenitentia, iterum mortui salvi fierent, ut scribit Egeyppus (lib. 3. cap. 2), et sanctus Thomas (in 4. distin. 43. art. 2. q. 2.), et beatae Agneli, ut filium praefecti, quem diabolus occiderat ob stuprum in virginem tentatum, resuscitaret, ut narrat S. Ambrosius (ser. 90), et S. Maximus (serm. 2), necnon reliquis B. Stephani, quae puerulum ante baptismum mortuum excitavit: immo, ut ex divo Ioanne Damasceno, Ioanne Diacono, et quamplurimis aliis, refert Alphonsus Ciacconius de vita Traiani, precibus beati Gregorii hic imperator fuit ex inferno ad vitam revocatus, ut poenitentiam ageret, et salvus fieret: cur matri Dei negandum erit, potuisse, ex summo filii privilegio, portas inferi infringere, et quos voluisset ad vitam mortalem iterum revocare, ut peracta debita poenitentia, tandem salvi fierent?*

Ad extremum, cum ex sententia divi Thomae (1. part. quaest. 21. art. 4. ad 1), omnium theologorum calculo probata, doceamur, quod etiam in damnatione reproborum appareat misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliquoties allevians, dum punit citra condignum; in quo mirifice impleri video illud Iacobi (epistol. cap. 2): *Superexaltat misericordia iudicium, vel, ut alii vertunt: Triumphat de iudicio, seu de iustitia misericordia; et ex alia parte, sancti Patres late a me supra citati, relatis eorum testimoniis, luculenter docent quaequumque beneficia divinitus descendunt a Patre luminari, per Virginis preces, et intercessionem communicari, manifeste inde efficitur, beneficium poenitentiae citra condignum ipsis damnatis ex Dei misericordia collatum beneficentiae, et intercessioni Virginis adscribi debere, prout adscribit Rotilius Benzonius Episcopus Laurentanus super (Psal. 86 cap. 32) dicens: *Quantitas poenae damnatorum ex Dei misericordia, et intercessionibus beatae Mariae Virginis, citra condignum taxatur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.**

## HOMILIA XIX.

In illa verba: Martha satagebat circa frequens ministerium explicatur, in quo consistat vita activa, quis eius scopus, et finis, quae propriae eius actiones, quibusque tandem indigeat, ut opera eius sint meritoria?

Magni Ioannis Cassiani in doctrina rerum spiritualium disertissimi, ac versatissimi magistri vestigia sequens, qui (libro suorum collationum collatione prima capite secundo), ut lectores ad perfectam vitam alliceret, eius scopum prius ante oculos eius proposuit, ut enim ipse perdocte dixit: *Omnes artes, ac disciplinae scopum, et finem proprium habere noscuntur, ad quem respiciens uniuersisque artis industrius appetit, cunctos labores, et pericula, atque pendia aequanimitate, gratanterque sustentat. Quod satis nobis innotescit, si in agricolam, negotiatorem, et militem oculos coniciamus: quorum primus perceptionem copiosarum frugum; secundus divitiarum quaestum; tertius adeptionem honoris, ac dignitatum, tanquam finem recipit. Quia igitur finis est velut calcas, nos incitans, et ad eundem urgens et velut gemma pretiosa, quam nitrum possidere; vel certe est velut praemium, aut bravium certantibus propositum, oportet, incidentem in via divini famulatus mentis oculos in illam figere, ne aliquoquin superis operum illius sit lentus, et segnis, aut forte inanis apprehendendi illud conatus. Ut enim, qui iaculum, aut sagittam emittit, si in scopum aliquem illum non dirigat, operam ludit, et privatus manet sui laboris effectus; sic qui in nullum finem mentis oculos figens, spiritualement aliquam vitam ingredi satagit, nullum aut modicum capit suorum operum profectum. Finis igitur vitae activae nihil est aliud, quam universorum vitiorum extinctio, passionum mortificatio, virtutum moralium acquisitio, et in bonis operibus reclusio. Unde Divus Isidorus (libro tertio sententiarum, cap. duodecimo quinto numero primo), activam vitam vocat: *Innocentiam honorum. Quare, si haec vita activa pro fine habet bonum, ac innocentem reddere possessorem suum; et bonus, et innocens non est, qui vitia foedat, ac operum probitate caret; consequens est, ut in haec omnia, tanquam in proprium scopum tendat. Quantum autem detrimentum sit, sine isto fine bene operari, docet Hugo Victorinus his verbis: *Quaecumque magis prosunt, meliora sunt, ut omne opus secundum fructum suum iudicari oportet. Multi hanc discretionem non habentes, plurimum laboraverunt, et parum profecerunt: quoniam oculum habuerunt foris tantum ad speciem operis, et non intus ad fructum virtutis. Gavisi sunt enim magna se facere magis, quam utilia exercere; et dilexerunt potius illa, in quibus videri possent, quam emendari.***

Hinc illam arbitror vitae activae egregiam descriptionem: *Vita activa est, quae peccata*

despet. affectus moderatur, bella tentationum dissolvit, proximos in rebus corporalibus, et spiritualibus iuvat, omniumque virtutum moralium functiones exercet. Persimilis huius est illa, quam apud Isaiam (cap. 58) lego: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui contracti sunt, liberos, et omne onus dirumpit. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despereris. Equidem si in his te exercueris operibus, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, gratiae scilicet splendor, qui tenebras peccatorum tuorum fugabit; et sanitas tua citius, ac velocius orietur, ut qui minus potens eras ad implenda divina mandata, iam facile, et suaviter illa exequaris; et anteitib faciem tuam iustitia tua, ut tanquam iustus, non vanis, sed veris laudibus extollaris. Tandemque gloria Domini colliget te: illa sane gloria, quam paratam habet timentibus se: et in scriptum est (in Psal. 21): *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Cuius interrogatio ipsa veritas summa respondit: Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Mons iste Christus homo est, de quo dixit Isaias (c. 2): *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius. Benedictio gratia contemplationis est, quoniam eam cupiens iustus, tanquam alter Iacob, luclatur cum Deo; neque ipsum dimittit, donec benedict sibi. Misericordia ignis charitatis est, quem Dominus in corde pauperis miseratus accendit, ut omnes eius miseras, paupertatesque consumat. Ille igitur ad montem Christum per contemplationem ascendit: ille in divinitate eius per amorem requiescit: ille aptus efficitur haec amplam benedictionem, et eximiam misericordiam suscipere, qui in operibus innocentiam tenet, et in cogitationibus munditiam servat: qui vitam suam rebus inanibus, et transitoris non deputat, et ab iniuriis proximorum abstinet. Quae omnia munera sunt vitae in actione constitutae. Et autem, velut in compendium, omnia vitae activae munera redigam, oportet, ut eius cultores, qui antea magna peccata, veluti aquam, bibebant, minime unus defectus aufugiant: carnem suam cilicibus, flagris, et omni afflictionis genere spiritui subiciant: sensuum instrumenta, praecipue oculos, aures, et linguam cohibeant, ac strictissimam tenentes silentii censuram, cogitationi acriter impent: et affectus immoderatos mortificent: nimiam familiaritatem, et inepas amicitias animae pestes fugiant: vitia, praesertim superbiam, iracundiam, amorem possidendi, libidinem, et alia huiusmodi extirpent: virtutes, praecipue humilitatem, mansuetudinem, paupertatem, et pudicitiam angelorum sponsum acquirant: seipsos contemnant, conculent, et proterant: ab universis contemni, et pro nihilo haberi appetant: et honoris, CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. II.***

gloriae mundanae, ac dignitatum appetentiam penitus si fieri potest extinguant: omnibus se tractabiles, et amabiles praebant, maioribus obediens, aequalibus gratos, minoribus virtutis se formam exhibeant: fugiant, taceant, quiescant, abscondantur, elongentur, ament nesciri, discant mori, luceant praeterita, spernent praesentia, meditentur futura. Accipiant haec sit eorum cura, hoc studium, ut per labores huius vitae, ad charos tandem pulchrae Rachelis, hoc est, vitae contemplativae amplexus perveniant. Interim tamen, si multum anxiamini divini sponsi amplexibus, et oculis non frui, accipite consilium vestri divi Bonaventurae (in stimulo cap. 3), et desiderii vestris, quantum palitur vita activa, non fraudabimini; sine enim ait: *Cur anima tota die anxiazis post Christum? indicabo tibi quem diligis anima tua, o sponse dilecti. Certe in infermaria taceat, et ibi angustietur, et ibi torquetur: curte, et sibi ministra, scilicet computare infirmant. In quo sponse quotidie, ut sponsi osculo osculeris? accede ad leprosum, et osculare eum, quia ibi taceat sponsum. Cur sponse miseris praesens amore languere te dicis, et ipsum quotidie nudum, discaletum, et afflictum ante te vides transire, et negligis, neque etiam computaris sibi?*

Sed perge iam dicere, quibus opus habeant actiones vitae activae, ut bonae, studiosae, ac Deo gratiae sint. Respondeo, ad bonitatem nostrorum operum non sufficere, quia illa sint ex suo genere quaedam substantiam bona, sed et quod debitis circumstantiis coheserunt. Nam cum bonus ex integra causa consuegat, malum vero ex quolibet defectu resultat, non solum deficientibus omnibus circumstantiis, quas septem esse tradit d. Thomas (2.2. quaest. 7. art. 1), sed una duntaxat deficiente, tolum commaculatur opus. Bonum erat sacrificium, quod durante veteri lege, Deo offerebatur, quis neget? Sed sacrificium Oziae malum fuit ex defectu primae circumstantiae, nempe ex defectu personae: quia regibus datum est, gubernare populum, non tamen, more sacerdotum, sacrificia, et hostias manibus propriis offerre. Quare Dominus, ut Oziam ab hoc flagitio compesceret, in ipso templo eum lepra percussit, et urbs, narrante Iosepho, terraemotu contremuit. Bona erat illo tempore peccatum immolatio: sed illorum sacerdotum mala erat, qui post reditum a captivitate Babyloica, Domino animalia maculosa immolabant, quae nimirum deest secunda circumstantia, quae ut quantitatem, aut qualitatem, aut effectus ex actione nostra provenientes designat; et ideo eos Dominus per os Malachiae vehementer increpuit (Malach. 1): *Si offeratis, inquit, coecum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum, et languidum, nonne malum est? Bona erat emptio, et venditio rerum, quae in templo deberent offerri, ut qua, ut inquit Augustinus, opus habebant homines in sacrificiis illius temporis; ad mala erat emptio, et venditio facta in templo, quia nimirum apta non erat tertia circumstantia loci: nam templum non ad exercendas nundinas, sed ad orandum consecratum est. Et in huius signum Dominus*



cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes vendentes, et ementes eiecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit aes, et mensas subvertit. Rationi consonum est, necessitati corporis providere, et cibos ad depellendam famem comparare; at malum fuit, quod Esau etiam cum opido lassus erat, coctionem rufam primogeniturae, sacerdotii venditione, quaereret; quia in quarta circumstantia defecit, nimirum in auxiliis, et instrumentis, quibus ad suam indigentiam sublevandam est usus: neque enim debuit pro esca tam vili suam dilapidare substantiam, ideoque Paulus cum *proprium* appellat, et tantorum bonorum profusionem damnat: *Ne quis fornicator*, inquit (Hebr. 11), aut profanus, ut Esau, qui propter escam reddidit primitivam suam. Similiter iusta erat defusio regis Aesae, quae propulsabat iniuriam sibi illatam a Baala rege Israel; sed mala fuit, Dominoque displicuit, quia usus est auxilio regis Syriae. Quare dixit et Ananias propheta missus a Domino (2. Par. cap. 16): *Quoniam habuisti fiduciam in rege Syriae, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriae regis exercitus de manu tua. Stulte egisti, et propter hoc ex praesenti tempore aduersum te bella consurgunt.* Similiter bona est elemosyna, quoniam a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam; mala vero est, si propter ventum inanis gloriae fiat: abest enim quinta circumstantia, nempe debitus finis, in quem hoc misericordiae opus debuit ordinari. Tandem bonum est benevolentiae opus admittere, cum ab illo ad prandium invitaret; sed peccavi ille propheta, qui in tempore sibi velito convivium admisit, ob idque invenit eum leo in via, qui scilicet, ex imperio Domini, illum quaerebat, et ipsum occidit: cuius causa statim exprimitur, cum alius, qui Prophetam ad cibum vocaverat, ita respondit (3. Reg. 13): *Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, qui confregit eum.* Hoc, inquam, ideo crimen fuit, quia ultima circumstantia temporis est praetermissa. Adverto tamen, quod ut huiusmodi operationes, alioquin bonae ex omnibus circumstantiis, sint meritoriae, omnino requiruntur, operantem esse per gratiam Christi unicum; ut enim ipse dixit (Ioann. 23): *Sicut palmas non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic et vos, nisi in me manseritis: hinc est, quod cum sacra Scriptura dixit, opera Abelis grata exiisse Deo, prius ait, Abel sibi placuisse (Genes. 4): Respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius. Ecce, ut complaceret Deus in operibus Abelis, opus fuit, ut prius sibi complacisset in illo. Non dissimiliter, ut opera tua sint in divino conspectu grata, et meritoria, oportet prius te gratum, et amicum Dei esse.*

Tandem concludo beati Laurentii Iustiniani de disciplina, et perfectione monastica salubre consilium ante oculos tibi proponens, hoc loco inserendum: verba eius sunt haec: *In actionibus exterioribus servi Dei prudenti se circumspectione custodiant: nam solet interdum in eisdem animus effragari, et lingua, ita ut omnia omni gratitate, spiritu levitatis totus feratur*

*in praecipis; neque quid agat, vel quomodo considerare velit. Facile tunc verba proferuntur nulla sapientiae sale condita, quae audientium corda impatientiae iaculo feriunt, et totam dissipant dulcedinem charitatis: et post pauca: Ideo sanetis cogitationibus occupanda mens est, cum corporale fit opus, ut pariter cordis gratum Altissimo offeratur holocaustum. Quod si hoc fieri velit, verbum pronuncietur adificationis, vel vocalis saltem non deseratur oratio, ut Dominus dupliciter laudetur. Debent quippe qui Deo placere cupiunt, nihil horum praetermittere, quae valeant cor accendere, aut proximum adificare in gloriam eius, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

## HOMILIA XX.

*In illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, explicatur breviternatura vitae contemplativae, et scopus, quem respicit, necnon quae sint eius propria munera, et operationes.*

Antequam de vita contemplativa sermonem instituum, operae pretium duxi, prius monere, huiusmodi vitae genus non esse indiscriminatum omnibus fidelibus aptum, sed illis dumtaxat, qui ad illum sectandam specialiter vocantur a Deo: non enim ad idem institutum vocat Deus universos, sed quosdam ad unum, alios ad aliud suavit, et potenter invitat. Paulum etiam reluctanter, immo, et fideles persequentem, ad Apostolatam trahit; virum autem a daemone liberatum, se ultro offerentem, et invitantem non admittit dimisit illum Iesus, dicens (Luc. 9): *Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus.* Hic itaque minime ad contemplationem vocatus, qui enim a quiete mentis accet, et ad exteriora virtutum opera militat, frustra erigit oculos ad coelestes consolationes sibi inaccessas: fatigabitur namque, et laborabit, sed nunquam eas poterit obtinere. Unde Salomon dixit (Proverb. 23): *Ne erigas oculos tuos ad opes, quoniam non potes habere, qui faciunt sibi pennas, quasi aquilae, et volabunt in coelum. Quam sententiam venerabilis presbyter Beda de spiritualibus divitiis intelligit: Ne erigas mentem, inquit, ad perscrutanda divinitatis arcana, quae penetrare non potes; haec enim coelestibus solum civibus patent. Ille autem contemplationis divitias non potest habere, cui concessa non est a Domino contemplativae vitae vocatio: quia illas gratiae divinae praesidium, et non sola naturalis acquiri industria. Quod si quispiam dicit: quomodo agnoscam, vocatus sum necne? cognosceat sane se vocatum, et constanter vitae contemplativae suscipiendae efficaces afflatus, et inspirationes sentiat; quae sunt veluti voces Dei, cum quem tanto beneficio dignum reddit, allicientes, et invitantes: si fortiter obstantibus impeditimentis resistat: si ad orationis exercitia*

aplitudinem, hoc est, mentem placidam, et quietam habeat. Verum cum, qui haec in se experitur, oportet subaudire divo Ambrosio (lib. de fug. saec. cap. 5) hanc praeparationem ad vitam contemplativam exigentia: *Transi sicut Moyses, ut videas Deum Abraham, Isaac, Jacob, et videas visum magnum; sed si videris: solve calcamentum pedum tuorum, solve omne vinculum iniquitatis, solve circula saeculi; relinque calcamentum, quod terrenum est. Ideo Iesus sine calcamento, et argenteo Apostolos destinavit, ne secum terrena portarent.* Dominus quidem secundam Moysi legem daturus iubet illi (Exod. 34): *Praecide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti.* Antea Dominus tabulas praecidit, Dominus ipse dolavit, et legem digito suo conscripsit; secunda autem vice dolatas, et praecisas tabulas a Moysse postulavit, ut in illis suam voluntatem scriberet. Quid hoc? nisi quod Dominus in illo aureo innocentiae statu, primi parentis potentias, et affectus sine ullo labore composuit, ut divinae voluntatis notitiam, et coelestes consolationes, quasi insculptas, et celatas reciperet. At in isto statu plane ferro, in quo regnat peccatum, vult nos tabulas, id est potentias, et affectiones nostras mortificatione polire, et laevigare, ut lucem demissam coelitus, et purissimos amoris amplexus valeamus accipere. Quia autem haec mortificatio a multis contemplativis abest, ideo nomen tenent, sed re, et veritate contemplationis fructum non possident. Optime enim dixit Bernardus (serm. 5. de Nativ. Dom.): *Non consolatur Christi infans garrulos: non consolatur lacrymae Christi cachinnantes: non consolatur panni eius ambulantes in stolis: non consolatur praesepe, et stabulum amantes primas cathedras in Synagogis, sed aequanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur.* Anima igitur se ipsa emundet suum intellectum, ut affectum desideriis terrenis evacuet, et coelestis luminis, et divinarum consolationum sit capax. Anima namque saturata porris, et aliis Aegypti, calcabit favum; esuriens autem, et harum rerum vacua, etiam amarum pro dulci sumet, dum in ipsis lacrymis incredibilem experietur dulcedinem. Nec solum haec praeparatio vitiorum expulsionem, sed et virtutum decorem, et pulchritudinem sibi vindicat. Certe pueri Hebraeorum, qui in aula barbari regis erant ministraturi, bono Deo, et quam apti, et decori futuri fuisse memorantur: *Et ait rex, dicit Scriptura (Dan. 1), Asphenex praeposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio, et tyranorum, pueros, in quibus nulla esset macula, decorus forma, et eruditio omni sapientia, cautio scientia, et doctus disciplina.* Si ad serviendum terreno regi, et barbaro, et idololatrae tanta requiruntur naturae dona, quid in nobis desiderandum est, Domine Deus meus, Rex regum, et Domine dominantium, ut assistamus tibi, serviamus tibi, et familiaritatem tecum, ac necessitudinem habeamus? Sane existimo non satis esse, ut simus de se

mine regio, quod gratia nos tibi gratias faciens, et divinae naturae consortes exhibet; neque ut vitiorum, et inordinatum passionum maculis careamus, nisi etiam virtutis decor, sapientiae lumen, circumspectionis donum, et disciplinae pulchritudo nostram mentem perseveranter circueant.

Haec igitur praeparatione facta, licebit Sancta Sanctorum vitae contemplativae ingredi, quam si nosse desideras, in qua consistat compendium, tibi respondeo ex sanctorum Patrum doctrina: *Contemplativa vita est ad omnibus rebus externis alienatio, et Deo adhaesio continua, quantum huius vitae fragilitas patitur, non solum pro gratiam, sed pro cognitionem, et affectum.* Hanc definitionem contemplativae vitae me docuit Ioannes Cassianus (lib. collat. 19. cap. 8) dum ait: *Eremitae perfectio est, eorum mentem a cunctis habere terrenis, eoque quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo.* Hinc facile est agnoscere finem, et scopum vitae contemplativae non esse intellectus speculativi Deum, sed simul per voluntatem, affectum in eum ferri. Unde d. Gregorius (hom. 14. in Esae.), non tam per actiones intellectus, quam per affectus voluntatis vitam contemplativam descripsit: *Contemplativa, inquit, vita est charitatem quidem Dei, et proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhaerere; ut nihil iam agere debeat, sed calcatis curis omnibus, ad eandem faciem sui Creatoris ardens inardescat.* Itaque cum omni consideratio rerum coelestium non propter seipsam suscipiatur, sed ut ea, tanquam instrumento, mens ad amorem superiorum erigatur, non debet vitae contemplativae cultor, tanquam finem sibi proponere rerum altissimarum cognitionem, sed praecipue per ardentem amorem cum Deo intime uniri: qui enim ex cognitione non assurgunt, ut malum detestentur, et Deum super omnia diligant, tantum abest, ut speculatio eis proficiat, ut potius illis obsit, iuxta sententiam Domini (Luc. 22): *Servus, qui cognovit volentem Domini sui, et non fecit, expulabit multis.* Qui ergo sola consideratione rerum coelestium nutritur, et ad mortificationem concupiscentiae, et internae puritatis nitorem nascenscentiam eam non dirigit, penitus non habet aquilae, sed struthionis, quae ad ornatum, non ad volatum deservit, et inter eas immundas annumeratur. De illo mystice legitur (Job 39): *Pennae struthionis similes sunt pennis herodi, et accipitris: pennas quidem speculationis habet ille, sed instar struthionis, quae ad intellectus ornatum solum deservit, in altum tamen revera illum non elevat, quia pondere terrenorum affectuum gravatus, ad ima deiciitur, ac semper per terram serpit.* In persona huius loquens Hugo Victorinus (lib. de clau. animae cap. 23) veraciter ait: *Quasi struthio volatum simulo, sed tamen pedibus terram tango: volito habito, sed terram tango affectu; pennas siquidem contemplationis a terrenis non elevat, quem corpulentia carnae fragillitas pondere suo gravat. Non sic se gerebat David, qui non ad alium scopum dirigebat cogitationem suam, quam ad amorem Dei, et custodienda eius mandata.*



(*Psalm enim 34*) postulans a Deo mentis illuminationem: *Da mihi intellectum, ait, et servator legem tuam; non quidem sedit in persecutione, sed continuo subiungit: Et custodiam illam in toto corde meo.* Unde d. Bern. (*serm. 85, in Cant.*), loquens de anima contemplationi dedita, inquit: *Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad decorem, cui maritetur ad foecunditatem, quo fruatur ad iucunditatem.* De huiusmodi anima loquens Oseas (*cap. 10*), viti frondosae copiosum fructum ferenti illam comparat: *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatulus ei.* Dum enim coelestia contemplantur, sanctis meditationibus, quasi frondibus decoratur, et eruditus cogitationibus, velut pampinis, ad maiora dislenditur. Tunc autem fructus adæquatulus ei, cum meditationibus eius, et accensa desideria virtutum opera parturiunt. Quæ autem sint officia, et operationes vitæ contemplativæ, divus Thomas partim docendo, partim obiectivis satisfaciendo (*2. quæst. 180. art. 8*), ad septem revocavit, nimirum, ad verbi Dei auditionem, liberorum spiritualium lectionem, sacrarum litterarum studium, rerum ad animum illuminandum, et perficiendum scriptionem, divinorum officiorum auscultationem, vocalem orationem, quæ bonis canonicis, aut sacrificio Missæ, aut alia quâpiam oratione perficitur; ac tandem mentalem exercitationem, quæ mentis cogitationem, et voluntatis affectum complectitur. Verbum quidem Dei auditum movet, lectio docet, studium illustrat, scriptio stabilis, studium acquisitum perficit, vocalis oratio præparat, cogitatio colligit, meditatio elevat, contemplatio mundat, et affectus mentem Deo infert, ac rebus divinis assimilat.

Concludo insigni scientia, et vitæ sanctitate Dionysii Richelii flammigera verba hoc loco adnectens: *Hic est finis solitariae vitæ. In sacculo isto, Deum excelsum, et benedictum pure, ac stabiliter contemplari, ferventer, et indolenter diligere, Deo perfecte, et assidue adherere, affici, frui, amplecti; sicque vitam angelicam, et coelestem inchoare in terris, copiose, et abundanter futuram beatitudinem in illo auxilio prælibare, ac tam dulciter præ gustare, quam dulcis est Deus. Insuper gloriosissime Trinitati gratiosè assimilari: immo, et unum fieri, et esse cum ipsa: cui sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

## HOMILIA XXI.

*Praeconiæ non pauca vitæ solitariae, et bonæ quæ solitudinis capacibus offert, in meliorem produciuntur, in illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Concors est præceptorum omnium vitæ spiritualis sententia, tria præcipue desiderari in eo, qui solitariam, seu eremiticam vitam agere cupit. Primum complexionis convenientia: qui enim melanconia laborat, vel obscura habet phantasmata, aut cerebri debilitatem sentit, facile infatuatur, nisi convicta humano iuvetur. Secundum, ut eo robore polleat, quod necessarium est ad quaecumque dura sustinenda: teneros enim, et molles longe a se excludit eremus. Unde (*Exod. 16*) legimus, molles Israelitas in solitudine degentes dixisse: *Utinam essemus in Aegypto.* Tertium, ut habeat per se sufficientiam, quæ secundum Andronicum, est habitus facultatem præbens, ut sine adminiculo societatis humanae possit quæ præstare, quæ sibi conveniunt. Quod cum solum sit virorum perfectorum, et hi paucissimi sint, illis dumtaxat hæc præconiæ damus, non ut alii imperfecti, his alliciantur ad temere amplectendam vitam solitariam.

Primo igitur solitudinem verbo, et exemplo Dominus non semel commendat: nam Isaias (*cap. 40*): *Rectas facite semitas Dei nostri in solitudine: (Exod. 3): Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto: (Hierem. 31): Fugite de medio Babylonis, et solveat unusquisque animam suam: (Osee 22): Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius: (3. Reg. 17): Dixit Dominus Eliae: Recede hinc, et vade in Orientem, et abscondere in torrente Carylth, qui est contra Iordanem: David (Psalm. 12): Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et concipies rex decorem tuum: (in Psalm. 54): Quis dabit mihi pennas, sicut columbae, et colabo, et requiescam? ecce elongari fugiens, et mansi in solitudine: et (Psalm. 62): In terra deserta, et in via, et in aquosa sic in sacno operavi tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam: et (Psalm. 101): Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. Alludit ad pellicanum, qui secundum Isidorum (*lib. 12. Etim. cap. 7*) est avis in Aegypto habitans in solitudine iuxta fluvium Nili. Cassiodorus ait, esse cyconiae magnitudinis (*Hierem. 9*): *Quis dabit me in solitudine; et diversorium viatorum derelinquam? Christus Dominus, ut ait divus Matthaeus (*cap. 4*), Ductus est in desertum a spiritu, et usque ad trigesimum annum turbas hominum fugit: et ut idem divus Matthaeus (*63*) ait: Ascendit in montem solus orare; et alibi (*Luc. 22*): *Avulsus est ab eis, scilicet discipulis, beata Virgo amatissima solitudinis, sola in penetrabilibus, quam solam Angelus salutavit, abili in montana cum festinatione, ne***

cuiquam occurreret (*ad Hebr. 11*): *Circueverunt in melotibus, et pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. Divus Hieronymus (epistola 39 ad Rust. Monach.) quæ incipit: Nihil christiano felicitus, ait: Mihi oppidum, carcer, et solitudo, paradus.*

Secundo illam commendat verbo, et exemplo sancti Patres, Vincentius enim (*Speculo historiali lib. 8. cap. 63*) refert, Arsenium quendam Arcadii, et Honorii imperatorum paedagogum, postea Abbatem, audisse vocem de coelo dicentem: *Arseni fuge, tace, quiesce.* Unde idem Arsenius, cum eum Theophylus, Alexandriae urbis Episcopus, eiusque socii rogassent, aliquid dicere spiritualis doctrinae sermonem, respondit se facturum, si sibi quod ab eis postularet, et ipsi concederent. Illis annuentibus: *Hoc a vobis flagito, ut ubicumque Arsenium esse audieritis, eo nunquam accedatis.* Cumque iterum idem Theophylus facultatem illius audeundi, per nuncium petisset, respondit: *Quod postulas concedam, sed tamen hoc loco cedam.* Idem interrogatus a quodam Abbate, cur sic, cum ab aliis ipse non periclitaretur, alii ab eo iuvari possent? ait se cum Deo, et hominibus simul esse non posse, se dividi Deo, et hominibus, Deo facilius placere quam istis hominibus infinitas voluntates habentibus. Vide Surium (*tom. 4. in vita eius*). Doctor Bonaventura (*in vita Seraphici nostri sancti patris Francisci*): *Solitaria, inquit, loca quærebant sanctus Pater noster, amica moeroribus.* Severus Sulpitius (*dialog. lib. 2. cap. 13*) de virgine quadam, quæ se ab omnium oculis removerat, refert, quod cum illac transiret sanctus Martinus illosque loci Episcopus, invisere voluit: illam vero per alteram mulierem se excensavit, nec ab eo videri voluit. Quod ille æque tulit, et laudavit vehementer. Plato in Academiae solitudine philosophator. Demosthenes se in locum, unde nulla exaudiri vox, nihilque prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogenter ocellat, ut Platarchus tradit in vita Demosthenis.

Tertio, solitudo est fons divinatorum beneficiorum (*Isai. 51*): *Ponit desertum, quasi delicias, et solitudinem, quasi hortum Domini: idem (cap. 35): Excultabit solitudo, et florebit, quasi litium germinans germinabit, et excultabit gaudio, florebit puritate vitæ, germinabit bonis operibus: (Psalm. 64): Pinguescit speciosa deserti: (Isai. 54): Multi filii deserta magis quam eius, quæ habet virum: (Joel. 2): Nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti: (Isai. 4): Ponom in stagna aquarum, dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrrum, et lignum olivæ: (Thren. 1): Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei: (Gen. c. 21) Agar in solitudine habet angelum consolatorem, et consolatorem: (Genes. 28) Iacobus fugiens fratrem Esau, arripiens iter Haram, inclinata iam die, dormiens in solitudine vidit scalam, et angelos, etc. Ostenditur illi Christus ex eo nasciturus, ac descendurus, tanquam ex scala, cuius gradus primus esset Abraham, secundus Isaac, tertius Iacob, etc. ut narrat Matthæus; veniens tandem ad Christum in summitate scalæ: (Gen. 18) vidit*

Abraham angelos solus in valle Mambre: soli, et egresso domo narratur excidium futurum Sodomorum, etc. (*Exod. 3*) in solitudine pascebat Moyses, vidit rubrum ardentem, et dicit mysterium, etc. ibi fit legalis Dei, Dux populi: (*Exod. 19*) in montem Sinai solus loquitur cum Deo, ut amicus amico: (*Exod. 16*): *Respectat ad solitudinem, et ecce gloria Domini apparuit: (3. Reg. 19)* Elias in solitudine Bersabee, Iuda angelo consolatore usus, pane, et carne a corvis pastus, et solus in spelunca vidit Deum: (*4. Reg. 2*) Helisæus in solitudine accepit duplicem spiritum Eliae: (*Isai. 6*) solus Isaias vidit seraphim, ab eoque carbone mundatur. *Beata Virgo Christum concepit sola in penetralibus, quem nemo eideret, ut loquitur divus Ambrosius: Ab angelo salutatur, mater Dei eligitur, (Luc. 3), Factum est verbum Domini super Joannem Zachariam filium, in deserto.* In solitudine videt Iesum venientem ad se, et ei baptizat: (*Act. 1*) Apostoli recipiunt Spiritum sanctum in cubiculo, ubi erant sedentes: (*Act. 8*) Eunnuchus Candacis reginae Aethiopiæ docetur, baptizatur ambulans in solitudine a Philippo. Divus Bonaventura (*in vita sancti Francisci*): *Pater noster divus Franciscus in solitudine in monte Alvernae stigmatibus honoratur, unius, ac solius eius honyms iste fuit a Christo illi tributus, nec Paulo, nec Catharinae Senensis. Revelaciones fuit solitariis (Osee 22): Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Multa ad fidam arcum amici, vel amicae dicuntur, quæ non publice (*Cant. 6*): *Amici aucculant te, et sponsus ad sponsam in horto: Surge amica mea, et veni.* Licet auscultatores amici essent, et honesta vultu colloquia, noluit sponsus coram amicis loqui sponsæ, sæpe nec Deus (*Cant. 2*): *Ego flos campis, et lilium concallium, ait sponsus.* In campum, in convales herba eundem, ut invenitur.

Quarto, quod sola vita solitaria vera censenda sit, prout censuit Similius. Etenim Dio. Cassius antiq. histor. (*in vita Adriani imperatoris*) dicit, Similium hunc fuisse ducent imperatoris, maxime familiarium, et gloriosi nominis, ac virtute, auctoritate prætoris olim dignitate, et nobilitate, modestia, prudentia, rerum experientia illustrem, audacem, liberum, in verbis fortem, bellum, militiaeque insignem. Is igitur multis Romanæ curiæ undis involvabatur vitæ, ac tandem meditations exitum, ex illo labyrintho curarum, publica prætura iam senex excessit, et proci ab urbe Roma, habitavit in sua aedificia; ibique notus multis, sed paucis familiaris, vixit septennium. Vicinus ergo iam morti, inscribi iussit monumentum, quod iam diximus: *Hic tacet Similius, qui annosus fuit, et tantum septennio vixit; quod scilicet, annos octo in curia, et publice perissee, privatim actos vere vexigosos acstimaret; publicam illam, et negotiosam vitam, mortem; solitariam veram et vitam arbitrabatur.* Ut enim vere liquor infusus vasi pleo rimarum, hæc, illac effluit; ita vita, que in lot, et tam varia negotia consumitur, peire erudenda est.

Quinto, quia solitudo aufert de medio occasionem, et offendiçia peccandi. Oculi non



depraedantur animam, ut dixit Hieremias (c. 3), nec cantus puellarum, qui etiam, vel elephantes decipi, illic aure percipitur; nec ibi videtur species virginis, quae vel rhinocerotem animal fortissimum capit, si gremium offerat: nec ibi lingua crebro peccat, quia ibi crebra silentia, ibi crebri anachersydes (Iacob. 1): *Si quis putat se religiosum esse, non refragans linguam suam, huius vana est religio.* Divus Augustinus (lib. de sing. Cleric.): *Mimus voluptatibus stimulat, qui non est, ubi adest frequentia voluptatum. Et mitius avaritiae molestias patitur, qui divitias non videt.* Ac tandem in solitudine alienus est solitarius a violando consilium illud tanti momenti omnibus monachis, ne nimis cum saecularibus hominibus conversentur: huiusmodi enim conversatio, et valde nociva, et longe aliena est ab instituto monachi. Primo ratione differentiae finis: monachus habet propositum coelam, alii tendunt ad infernum (Iob 21): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto temporis ad infernum descendunt.* Peregrinorum alter intelligens alterum intendere Gentem, cum ipse tendat Hierosolymam, statim alteri *Vale* dicit. Videns igitur monachus alios tendere ad infernum, se in coelum, debet *Vale* dicere: (Proo. 1): *Fili mi ne ambules cum eis, pedes illorum ad malum currant.* Secundo ratione differentiae motus: nam licet saeculares tendant ad coelum, tamen gradu nimis tardo:

Sequiturque Patrem non passus acqui.

Monacho autem currendum, et volandum: (Ps. 54): *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam.* Peregrinorum alter alteri *Vale* dicit, si illum negotia currere urgeant, et velit, et possit; alter autem accelerare gradum, aut nolit, aut non possit, aut non oporteat. Monachus ergo similiter. (Gen. 33) Iacob refugit societatem Esau dicentis: *Ego socius itineris tui?* quod greg, et parvuli properantem assequi non possent, aut nolent: *Quae conventio lucis ad tenebras?* Tertio ratione periculi. Ioannes Climacus (scalae Parad. gradu tert.): *Qui post abrenunciationem cum saecularibus versatur, sine iacta illis, commodi cogitatione inquinabitur, aut certe si non inquinatus fuerit, eos, qui inquinantur, iudicans, atque condemnans, et ipse inquinabitur.* Divus Basilius (in quaest. fas. disputat. resp. quest. sexta): *In saeculo, qui plurimum peccata videt, in comparatione deteriorum se optime vitam agere existimat.* Confirmat divus Chrysostomus (hom. 36. oper. imper. in Matth.) ubi ait: *Sicut difficile est, arborem iuxta viam istam fructus suos usque ad maturitatem servare; sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundum viventem, in suis operibus immaculatam iustitiam usque ad finem tenere.* Recede ergo de via, et planta te in loca secreta, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo. Ovidius eleganter de nuce dixit:

Nux ego iuncta viae, cum sim sine crimine vitae  
a populo saxis praeterente petor.  
Causabor, quare sit lapidosus ager:

unde proh dolor frequenter contingit, ut sicut arbor in publica via posita non solum arduiter a bestiis, laeditur a curribus, spoliatur a viatoribus, sed saepe ieta lapidum temere iactorum laeditur, fortuito quoque alias fructiferas arbores plantatas in horti medullio; ita monachus saeculum frequentans non tantum ipse periclitabitur, sed aliis erit causa periculi.

Divus Athanasius (in vita Sancti Antonii), Antonium Abbatem Alexandrinum ferunt solitum dicere, nec expedire Christi servis eorum, qui saeculo servant domos frequentare, aut consuetudine uti: sicut enim pisces de aqua educti, continuo languescere, et emori solent; ita monachus extra coenobii septa vagantem, si quidquam confabulationi vacaverit alienorum, ad cordis lepiditatem redigi, et circa spiritualia exercenda effici tardiores necesse erit.

Quarto ratione officiorum.

Uterius: desertum, locus fletum, et eorum aliis difficile, et indecorum est fere. Petrus egressus flevit amare. Ioseph iubet egredi cunctos foras; elevavitque vocem cum fletu in agnitione fratrum (Genes. 43). Qui tristes sunt, soli esse desiderant: solitaria loca amica moeroribus. Turtur viduata semper sola gemit, et luget. Virgilius (4. Aeneid):

Ovae culminibus ferali carmine ludo  
Visa quaerit.

(Ps. 101): *Factus sum sicut nycticorax in domicilio, nycticorax nocte in desertis domibus ululat, et plangit.*

Quintilianus (lib. 10. Institut. cap. 3): *Demosthenes, oraturus, scilicet, coram populo, se in locum, ex quo nulla exaudiri voce, nihilque prospici possent, recondebat; ne aliud agere mentem cogerent oculi.* Monachus oraturus cum Deo, id ipsum faciat.

Quinto, ratione reputationis: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Unde Plutarchus (tom. 1. vit. in Perycle) dixit: *Perycles Atheniensis, postquam rempublicam coepit curare, nunquam postea visus est ambulare per civitatem, nisi in forum ire, aut senatum invitatus: ad convicia non ibat, omnem talem amicorum consuetudinem reliquit, et toto illo prolixo tempore, quo rempublicam curavit, nunquam ad cuiusdam amici coenam ivit, dempto quod convivio nuptiali Euryptolemi nepotis sui interfuit tantum ad gratias usque, quando vinum diis offertur, statimque post surrexit; quia, ut ibi addit idem, huiusmodi familiaritates mire deticiunt omnem gravitatem affectatam, et difficile est, uti severitate perpetuo ne vicescas, cum omnibus familiariter conversando.* Decet autem monachum non vilesse.

Sexto, in solitudine Deus, instar matris, dulci suae consolationis lacte animam nutrit. Unde ubi nostra vulgata in Osee legit: *Ducum eam in solitudinem, et loquar ei ad cor:* alia lectio verit: *et lactabo eam:* hinc d. Basilius (orat. de laudib. erem.) enarrat delicias solitudinis: *Sunt quidem in deserto pugnae Edom, et Amalech, sed ad habendam victoriam: sunt serpentes quidem ignes, et vena spiran-*

tes, sed est aeneus, qui sanat: sunt aquae amarae, sed lignum est, quod dulces reddat. Est panis penuria, sed sequitur manna, sed est angelus ferens subcineritium panem. Absunt carnes, sed pluit Deus coturnices: saxa sunt, sed percussa dant fontes aquarum, mellis, et olei. Solis ardor terret, sed umbra septuaginta palmarum, et duodecim fontes refrigerant; arma desunt, sed plus vincit Moyses orando, quam Ioseph dimicando. Quid plura. (Isai. 21) promittit erema colentibus divinae consolationis exuberantem plenitudinem: *Ponam desertum in stagna aquarum, dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivae.* Nec propheta id ex proprio Marte pollicetur, sed in persona Dei, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXII.

Propromuntur encomia, et utilitates maioris vitae coenobiticae supra vitam solitariam, in illa eadem verba: *Maria optimam partem elegit, quae non auferretur ab ea.*

Omnia ferme praeconia vitae coenobiticae, quam proflentur, ad haec mihi videntur vocari posse. Habemus in ea, quae necessaria sunt ad victum, et vestitum absque inani cura, et sollicitudine: habemus ad impetrandam divinam gratiam per preces a tota congregatione effusas, efficacissimum remedium: habemus usum talentorum, quae quisque de manu Domini accepit: habemus multarum bonarum actionum in proximorum utilitatem uberium meritum: habemus lucem splendidissimam ad obtinendam nostri cognitionem: habemus in tentationibus praesidium fratres, qui verbo, et exemplo nos ad perfectionem provocent: praelatos, qui nostros errores corrigant, et tandem spirituales magistris, qui nos frequenter instruant.

Sed iam pergo singula haec ostendere. Primo, solitarii non potest non distrahi ob eam vitam sui victus, et quantumvis necessaria ei praebentur, cura illa servandae, et praeparandae ad quotidianum prandium, mentem ad terram trahet, et a contemplatione divellet. Et ecce hominem, qui elongavit se fugiens, et mansit in solitudine, ut lotus contemplationi vacaret, sua spe frustratum. Quid si non solum sibi, sed etiam hospitibus ad eam aedificationis gratia venientibus, debeat alimenta parare? tunc necesse erit ab interna quiete praepeditus, barbari, ut Marthae erga plurima. Unde Ioannes Cassianus (colla. 19) refert, ob hanc solam causam Abbatem Ioannem solitudinem reliquisse, et ad coenobium confugisse, egre-giam illam sententiam proferentem: *Id, quod mihi de illa theoretica sublimitate subtrahitur, obedientiae subiectione pensabitur.*

Secundo, facilis impetrat humilis oratio non ab uno solo, sed ab universa congregatione profusa. Unde Leo Papa (serm. 3. de ieiun. 7. mens. cap. 3) ait: *Plenissima oblinetur pecu-*

lorum abolitio, quando lotus Ecclesiae una est oratio, et una confessio. Si enim duorum, vel trium sanctorum, pio consensu omnia, quae pro-poseverit, Dominus praestanda promittit; quid negabitur multorum millium plebi, unum observantiam pariter exequenti, et per unum spiritum concorditer supplicanti? Tanti sane momenti est oratio ab una congregatione progrediens, ut impiorum Novitarum deprecationi Dominus aures non obstitaverit, sed eam benigne, misericorditerque suscepit. Denique miserus est Deus supra multam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Si tantum potuit multorum impiorum communis oratio, ut eorum iniquitatis non minus quam peccata Sodomae pro ultione clamantibus, veniam, et misericordiam impetraret; quid non poterit uno corde, et uno ore fusa deprecatio iustorum? quid non ab illo obtinebit, cuius oculi super iustos, et aures eius ad preces eorum? Hic itaque validissimo sanctitatis praesidio illi privati sunt, qui solitarii viventes, non conspiciunt fratribus, qui irruente tentatione aliqua, aut occurrente quapiam necessitate, pro ipsis exorant.

Tertio, est in vita solitaria magnum aliud incommodum, nempe talentorum nobis commissorum absensio. Cum enim nemo fere sit, qui aliquo Dei dono polleat, nam ut inquit Apostolus (1. Cor. 12): *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum: aliter fides in eodem spiritu: alii gratia sanctorum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum; consequens est, ut solus in eremo positus, hoc donum Dei, quod accepit, habeat absconditum, nullamque ex eo, aut in se, aut in illius utilitatem percipiat: (Ecc. 20): *Nam sapientia absconsa, et thesaurus invidus, quae utilitas in utrisque? qui huiusmodi est, obiens fudit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Nam, ut inquit divus Gregorius (1. part. past. cap. 8), *pecunia in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere.* Bene sane ista donorum effusio, pecuniaeque spiritualis ligatio, ex ipsa tua, o solitariae, operatione cognoscitur. Nam literatus, quem doces, praedicator, quem ad bonam frugem convertis, ubi sunt? Cerle cum Eliu dicere poteris (Iob 32): *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.* Ea venter meus tanquam mustum absque spiraculo, quod lapunculus nocens disrumpit. Prudens, qui quondam praebes? sacerdos, cui sacramenta ministras? sanctus, quem aedificas? robustus, in cuius utilitatem laboras? time ne servus malus, et piger voceris, et dona accepta dilapidas, dum ea infructuosam relinquis. Haec omnia in solitudine otiosa sunt, in coenobio vero negotiosa, quae suis laboribus in hac vita usum, in futura vero praemium super mensuram recipiunt.*

Quarto, quia vitae solitariae necessarium est, ut deficiat multitudo illa meritoria bonorum operum, quae coenobiticae vitae nunquam deficit: nam coenobium est veluti unum corpus ex diversis partibus, membrisque compactum.